



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Baculus Pastorales.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

BACULUS PASTORALIS.

Primò, Baculus pastoralis quid significat per curvitatē illam superius positam? Respondetur primò, quòd vel coërcitionem, sive castigationem, quæ dari solet ab Episcopo populis inobedientibus, sicut pastor utitur pedo ad reprimendas oves errantes; secundò responderetur, quòd significat regnum; sicut enim Reges utuntur sceptro, prout dictum est *in ver. sceperum*, pro pace populorum, ita Episcopus pro auctoritate, qua utitur in salutem populi.

Secundò, eo utitur Episcopus prædicando, & incedendo, ad denotandum illa duo, *c. disciplina, 45. distin. c. nullus Episcopus, de consecr. dist. 1. text. & gloss. in ca. unico, in ver. propter historiam, & in ver. mysterium, & Innoc. in lib. 1. cap. 62. ministeriorum Missæ.*

Tertiò, quare non utitur eo Summus Pontifex, vide ibi text. & gloss. & Host. *in Sum. tit. de sac. Vn. §. ult. in ult.*

BANNITI.

Primò, quia multi summi Pontifices fecerunt constitutiones contra receptantes bannitos, occultantes, juvantes ad evadendum, faventes, aliaque ministrantes, & imposuerunt multas pœnas, & censuras, dubitatur, quinam sint, qui incurrunt dictas pœnas, & censuras? Respondetur primò, quòd cum excommunicatio non incurratur

sine peccato mortali, *c. nullus, cum vulgatis, l. 1. q. 3.* vel contumacia etiam in re levi, *gloss. in d. c. duo, 96. dies, & in ver. contumelia*, hinc fit, quòd solum illi, qui cum peccato mortali prædicta faciunt, incurrunt, & propterea patres, filii, uxores, fratres, & hujusmodi consanguinei, vel affines, qui occultaverint eos, aut eis consilium, seu etiam pecuniam dederint ad aufugiendum, & discedendum à territorio, non incurrunt, nec illi, qui favent eis, non ad maleficia patranda, vel ad non in eis perseverandum, nec ipsi, qui eos juvant ad evadendum eo sine, ut melius convertantur, & pœniteant, neque qui juvant illos ad evadendum manus justitiæ, sine scandalo, & violentia, ut pœniteant, neque parochi, vel religiosi, qui eos visitant, quando ægrotant, sed solum illi incurrunt, qui præsumptivè receptant, vel juvant eos ad maleficia operanda, vel in eis perseverandum, *Nav. conf. 21. de sent. excom. c. duo ista. 23. questio 4.* & idem censendum est de religiosi hospitantibus, seu receptantibus bannitos timore, necessitate, cognatione, utilitate, charitate; nam non incurrunt pœnas, immò interdum merentur. *Nav. loc. cit. num. 55.* similiter quando ponuntur pœnæ & censuræ contra receptantes bannitos, non intelliguntur illi, qui aliquod delictum fecerunt semel, vel non publice, vel diffamatorie, sed perseverantes in maleficiis, *idem consil. 22. & 23. loco cit.* nec qui auxiliatur eis tanquam egentibus vicinis Christianis, & non ut bannitis, *idem loco citato*, sicut

D 2

etiam